

Keyserlingk, Hermann Carl von

**B R E V I S**

&

**Succincta Enarratio**

**J U R I V M**

**C U R L A N D I Æ**

&

**S E M I G A L L I Æ**

circa Electionem

**Novi P R I N C I P I S.**



Us eligendi sibi Duces, Curlandiae & Semigalliae competens, brevibus demonstraturus, non abs re fore judico, succinctam praemittere enarrationem mutationum, quibus Regimen Livoniae, usque ad tempora *Gotthardi Kettleri*, primi Curlandiae Ducis, obnoxium erat.

Erat enim Livonia antiquioribus temporibus adeo incognita gentibus Occidentem spectantibus, ut in aere is piscaretur, qui in earum historicis codicibus ante 1158. post Salvatoris Natalitia annum, compilatis, mentionem de hac regione quaereret.

Cum verò Bremenses, qui olim numerosa

mercatoriarum navium classe, peregrinas oras lucri quærendi causa visitabant, ad littora Livoniæ fortuito appulsi regionem hanc dicto anno detexissent, (a) subministrata est scriptoribus scribendi, statibus verò Europæ disceptandi materia, in cujus Dominium transire deberet detecta regio.

Retulit tandem Palmam Sedes Apostolica, (b) cujus S. Præsul *Alexander* hujus nominis *Tertius*, *Meinhardum* Episcopum anno 1170. in Livoniam misit, qui propagatâ aliquantum fidē Christianâ, primâ ibi Sedis suæ Episcopalis fundamenta anno 1184. jecit. (c)

Post *Meinhardi* fata, collata est à *Cælestino*, qui tunc Romæ Sacris præerat, Episcopalis Dignitas, *Bartholdo à Lochau*, quem multi auxilium contra Ethnicos ei laturo, ex Consilio Pontificis, in Livoniam sequebantur. (d)

Hic

(a) vid. Bœcleri Dissert. de acquisito & amisso Imperii Romano Germanici in Livoniam jure p.17. & Ruffovium ibi allegatum.

(b) Confer. Claudius Arrhenius pag. 75.

(c) Vid. Arnold. Lubec. L. 7. c.8. & Bœcleri L. c. p. 8. Bod. L. 1. p. 2.

(d) vid. Duisburg Chron. Pruff. p. 115. Arnold. Lubec. L. 7. c. 8. & 9.

Hic in prælio, dum fortius quàm cautius dimicaret, ab Ethnicis occisus, successorum habuit *Albertum Buxhoffium*, ab *Innocentio III.* Pontifice Romano, anno 1204. in Livoniam missum, clarum, quod non tantum limites ditionis suæ Esthoniæ versus ampliavit, verum etiàm Rigam, muro circumdedit,

Confluentibus interim magis magisque Ethnicis impar viribus *Albertus*, petiit & obtinuit ab *Innocentio III.* Ordinis Ensisiferorum institutionem, cujus Principatum *Vinno*, eodem annô 1204. auspicatus, (e) cum magna militum manu, per Indulgentias Pape contractâ, in Livoniam profectus est.

Gratus quidem Episcopo erat Ordinis adventus, ast minus grata postulatio, ut scilicet tertiæ partis totius gentis Ethnicæ imperium Ordini desponderetur; Hinc magnæ inter Episcopum & Ordinem discordiæ; ad quas sopiendas Papa *Guilielmum* Episcopum Mutinensem in Livoniam misit, factâ insimul constitutione, quâ Ordini tertia pars regionis jam occupatæ, in feudum ab Episcopô Rigensi,

A 3

directô

(e) Vid. Epist. 191. Innocentii III. edit: Stephani Baluzii & Schurtzfl: in Dissert. de Ordine Ensisiferorum p. 5. Bœcl: l. 1. p. 31.

directio ejus Dominò, accipienda, id verò omne quod in posterum Ordo devicturus esset, proprio ejus juri adjudicabatur. (f) Eò autem tempore neque Curlandia neque Semigallia occupatæ erant; (g) non enim nisi à *Volquinò* sub potestatem Ordinis redactæ sunt.

Erant igitur tum temporis in Livonia duo imperia, Ordinis & Episcopi; quod verò cæso ab Ethnicis *Volquinò*, secundò Ordinis Magistro, aliquantulum respectu Ordinis immutatum est.

*Albertus* enim nominis hujus II. Episcopus Rigenfis, dum sententiam istam Papæ plus Ordini quàm sibi faventem, digerere nullò modò posset, adiit Papam, ut Ordinem Livonicum, Ordini Teutonicorum incorporaret; cujus desiderio annuens Papa, *Johannem à Meydeburg & Gerlacum*, Legatos Ordinis Livonici, in sodalitatem Ordinis Teutonicæ, præsentem ejus Magistro, annò 1238, adscivit. (h)

Post

(f) Vid. Epist. 141. Innoc. III. ex edit. Baluz; Schurtzfl. l. c.

(g) Schurtzfl. l. c. 6.

(h) Vid. Petr. Duisb. Chron. Pruss. c. 28. Hartkn. de var. rebus Pruss. diss. 19. § 3, ibique *Russovium* allegatum.

Post hanc conjunctionem, *Hermannus* cognomine *Balck*, Magister Provincialis in Livonia, omnesque ejus Successores, à Generalibus Magistris & Capitulô magnô in Prussia eligebantur, usque dum *Waltherus à Plettenberg* rationem evehendi Ordinis inniit, & suô atque Ordinis nomine, cum Magistro Generali & Teutonica sodalitate pactus est, ut persolutâ magnâ pecuniæ summâ, ab ejus potestate & imperio, liber deinceps exemptusque esset; quod evincunt Diplomata annô 1521. die Michaëlis, Regiomonte, & 1525. post diem Valentino Sacrum, Posonii emanata. (i)

Quæsitâ sic Provinciæ libertatæ, Ordo Equestris suos sibi eligere cepit Magistros, & Magister *Plettenbergius*, auspiciô *Caroli V.* in tabulas Principum Imperii Romano-Germanici relatus est; quâ Prærogativâ & Successores ejus in Magisterio gavisi sunt. (k)

Cum autem Supremus Livoniæ Magistratus, absque consensu Ordinis Equestris Coadjutores sibi adsciscere

(i) Conf. Ruffov. Chytracus & Menii prodr. Histor. Livon. p. 12.

(k) Conf. Schurtzfl. Histor. Ensisferor. pag. 117. & Menius l. c.

1521  
1238  
283

adſciſcere præſumeret & tali ratione juri eligendi, quod Magiſter Livoniæ *Waltherus à Plettenberg*, & ſuô & Ordinis nomine acquiſivit, derogare videretur, Comitia Generalia Volmariæ anno 1546 inſtituta ſunt, in quibus expreſſa lege Sancitum, ne fas eſſet, alicui ſtatui, ſive Magiſtratu ſupremo unitarum Provinciarum Livoniæ, Coadjutores, absque communi ſuffragiô totius Ordinis Equeſtris ſibi eligere; ſi quis eorum contra faceret, Cives cæteri, ſoluti vinculo jurati obſequii, violanti legem hanc juſtâ vi obſiſterent. (1)

Et cum *Fürſtenbergius* primò in Coadjutorem, poſtea anno 1557. in Magiſtrum eligeretur, proteſtatus eſt contra hanc electionem, Ordinis Marechalcus, *Casparus à Mûnſter*, dicens, quod *Fürſtenbergius* ceu durioris ingenii homo, incapax eſſet ſervandæ cum vicinis Polonis amicitia, quam tamen excolere, neceſſitas expoſceret, (m)

Sic quoque *Gotthardus Kettlerus* nonniſi in Comitibus Valkenæ habitis, unâ omnium ſententiâ Ordinis

(1) Vid. Claudium Arrhen. p. 90. & Menii Prodr. Hiſt. Livon. pag. 18. item Receſ. Volm. de Anno 1546.

(m) Conf. Menius pag. 20.

Ordinis Coadjutor electus; (n) qui non ita multo post, cum *Fürstenbergius* curis laboribusque confectus, Principatu Ordinis se abdicasset, ad Magistri Dignitatem ab Ordine Equestri evectus est.

Si itaque uti ex deductis patet, Jus eligendi Magistros Livoniæ penes Ordinem Teutonicæ Sodalitatis, ab initio stetit;

Si hoc Jus eligendi, *Waltherus à Plettenberg*, Ordinis Equestris in Livonia Magister, & suo & Ordinis nomine, exsolutâ magnâ pecuniæ summâ acquisivit;

. Si hoc Jus eligendi, Ordo Equestris in Livonia, nemine contradicente, quocunque tempore, in posterum exercuit, & contra attentata, quæ juri eligendi sibi competenti, derogare viderentur, leges sancire potuit, & sancivit.

Si denique ultimus Magister & primus Dux Curlandiæ *Gotthardus Kettlerus*, in Comitibus Valkenæ habitis, solitô modô communi Ordinis Equestris suffragiô electus, sat luculenter constat, Ordinem Equestrem Ducatum Curlandiæ & Semi-

B

galliæ,

(n) Vid. Schurtzfl. Hist. ensif. pag. 150.

galliæ, cum Electo & jure eligendi, in protectionem & clientelam Regum & Republicæ Poloniæ Magnique Ducatus Lithvaniæ abiisse.

Cum verò

(I.) Per Pacta primæva & juramentum à Divo *Sigismundo Augusto* super his præstitum Ordini Equestri omnia Jura, libertates, Privilegia, Consuetudines, Præminentia, moresque antiqui generaliter vindicata & stipulata exstant; (o) ergo & jus eligendi quâ Præminentia Ordo Equestris, antiquius gavisus est, plenariè reservatum & confirmatum esse sequitur; nam qui omnia dicit, nihil excludit,

(II.) Nemo negabit, quod *Dux* in locum Magistri sit substitutus; si igitur Nobilitati jus eligendi Magistrum competiit, jusque omne in Pactis & Privilegio Divi *Sigismundi Augusti*, secundum mores antiquos reservatum est; Jus eligendi Ducem, qui in locum Magistri successit, per oblationem feudi ademptum esse, nullo jure, nullaque ratione dici potest, cum surrogatum semper sapiat naturam ejus, in cujus locum Surrogatur.

III. De

(o) Vid. §. 3. Pacta primæva: Vilnæ 28. Novembr. 1562.  
& Juramentum D. *Sigism. Augusti* circa subjectionem præstitum p. 52.

(III.) De Ducatibus Moldaviæ & Vallachiaë constat, quod prioribus temporibus, cum Serenissimis Regibus & Inclytæ Reipublicæ Poloniæ, adhuc subiecti essent, Jus eligendi & præsentandi Principes habuerint, & nemine contradicente exercuerint. Hinc colligitur, feudum in casum aperturæ, non tam ad præscriptum juris feudalis æstimandum, sed uti in rebus omnibus, ita quoque in feudis, ad pacta respiciendum esse. Cum igitur Pacta Subjectionis, Curlandiæ & Semigalliæ Jura omnia secundum leges, consuetudines, moresque antiquos relinquunt, ita & in eligendo Duce, si prioris Stemma defecerit, mores eorum antiquos ex Pactis relictos, dijudicandum est; adeoque pro moribus antiquis in eligendo Duce militat præsumptio, donec probetur, quod casus hic specialis sit exceptus. His accedit, quod feuda Ducalia Regno Poloniæ sint constituta, ut sicut ibidem unicuique Nobili in eligendo Rege libera vox relinquatur, ita & hoc Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ tributum esse censetur, ut eorum formula Regiminis, libertati liberi populi adæquata, eò gratior & acceptior esset; Quod ex inductione exemplorum, in quibus nullum dissimile datur, satis clarè patescit. Hinc rectè concluditur: in quo Regno libera Regis Electio Nobilitati competit, in eodem Regno & Ducatibus

facultatem eligendi Ducem, quam ante Incorporationem habuerunt, relictam necesse est.

(IV.) Regnante *Lechicâ, Piastensi & Jagellonicâ* Lineâ, Regnum Poloniæ usque ad *Sigismundum Augustum*, ultimum ex Jagellonica stirpe Regem, hæreditario successivum, salva tamen libertate eligendi, erat. Quemadmodum autem hic Ordo successionis, libertati eligendi neutiquam derogavit, quin potius extinctâ lineâ *Jagellonicâ* antiquus mos, & præ eminentia eligendi Reges, iterum in Regno Poloniæ, Magnoque Ducatu Lithvaniæ revivisceret; itaque antiquo mori & Præ eminentiæ Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, per successionem hæreditariam lineæ *Kettlerianæ*, aliquid derogatum esse, neutiquam de jure affirmari, adeoque nec vitio iis verti potest, si deficiente stirpe *Kettlerianâ*, ordine successorio stabilitâ, pristina jura sua eligendi Principem, sibi vindicant, & secundum Pacta Subjectionis, Juramentum D. Regis *Sigismundi Augusti*, & Privilegia Nobilitatis, eò magis in usum deducunt, quo magis planum atque conspicuum est, quod Ordo Equester Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, hoc jus præsentandi Principem, existente casu aperturæ, jam post subjectionem suam exercuerit. Cùm enim Dux *Guilielmus* Ducatu excidisset,

cidisset, Ordo Equestris Principem *Jacobum*, *Guiljelmi* Filium, vivente adhuc Principe Domino *Friederico*, Curlandiæ & Semigalliæ Duce, Sacræ Regiæ Majestati præsentavit, & per preces, supplicationesve suas, sollicitè interpositas, obtinuit, ut ad eum Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, cum pleno jure successorio ordine devolveretur. Et hoc in fundamento Pactorum primævæ subjectionis factum, esse, non obscure testantur verba responsi in Comitibus Varlaviensibus annô 1637, dati, ita sonantia :

Quæ ad Sacram Regiam Majestatem, Dominum Nostrum Clementissimum, per Legatos Illustris Principis *Friederici*, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis, tum etiam per internuntios Curlandiæ & Semigalliæ Nobilitatis, tam viva voce, quàm scripto sunt data benignè eadem Majestas accepit. Et quidem quod attinet legationis ac postulatorum Illustris Ducis, Nobilitatisque caput, successionem in Duca-

tum Curlandiæ & Semigalliæ Illustris Principis ex Fratre Nepotis, Ducis Jacobi, NB. in hoc primævæ subjectionis Pactis, investituris Ducalibus, Privilegiis, tum formulæ Regiminis ac datis eo nomine responsis, Sacra Regia Majestas pro affectu suo erga Domum Ducalem, & erga Nobilitatem, insistit.

(V.) Divisionem Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ in Palatinatus, quam Constitutio de anno 1589. innuit, Pacta Subjectionis nullatenus admittunt. Cùm enim nihil magis Respublicas quassare atque concutere soleat, quàm legum, consuetudinis & morum mutatio, uti ex prudentissimo atque verè divino consilio D. *Sigismundi Augusti* patet; (p) Nobilitas pro fundamento Pactorum Subjectionis posuit, & ex eo impetravit, quod modò altissimè fatus Rex, in Privilegio suo Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ dato, omnia Nobilium jura, beneficia, Privilegia sæcularia & Ecclesiastica,

clesiastica, denique & Jurisdictionem totalem juxta leges & consuetudines, moresque antiquos confirmaverit, exinde sequitur, quod idem status, qui tempore oblatis feudi fuit, perpetuò & in æternum manere debeat, & post Pacta subjectionis nulla mutatio admittenda, sed omnia in priori statu, uti conventum, relinquenda sint. Jam tempore oblatis feudi Curlandia & Semigallia statum Ducatum accepit; (q) si quis igitur hunc statum Curlandiæ & Semigalliæ ex præscripto communis juris feudalis mutandum, & extincta stirpe Celsissimi quondam & Illustrissimi *Gotthardi Kettleri*, Primi Ducis Curlandiæ, ex Constitutione de anno 1589. (r) Ducatus hujus Provincias in Palatinatus, vel in aliam formam Regiminis, mutari posse adjudicaverit, is fundamentum pactorum destruit, utpote quæ, uti deductum, nullam mutationem multo minus immutationem totius status permittunt. Nam quod Pacta sint servanda, & quod in præjudicium Pacto-  
rum

(q) Confer. § 7. Pact. primæv.

(r) De abolienda hac Constitut. Ordo Equestris in superfluum per legatum suum Georgium Vischer Capit. Vindaviensem protestatus est, quod evincit Attestatum Hieronymi Kadzieiewsky tum temporis Marchalci Ordinis Equestris, Varfav. die 28. Martii  
1645.

rum antea initorum, & juramento corroboratorum, nulla lex sanciri, nec Pacta priora, parte altera invitâ, aut inscia, imminui, multo minus plane tolli queant, hoc unicuique notum est.

(VI.) Clarius hæc dilucescent, si finem respiciamus, cur Magistro Ordinis, titulus Ducalis, cum omni Dignitate, insignibus & Privilegiis Ducalibus, sit tributus. Is autem non est, ut Duce uno alterove, & eorum posteris deficientibus, Curlandia & Semigallia in Palatinatus dividatur, seu cum his Ducatibus, inconsultis iis quorum interest, vel iis qui Jus quæsitum ex pactis habent, liberè disponatur; sed juxta verba in Pactis expressa finis hic est, ut Dux vicinorum Regum & Principum affinitate amicitia suffultus, contra hujus Provinciæ hostes, eò solidior, firmitorque compareat. (s) Quid autem huic fini, adeoque pactis subjectionis magis contrarium est, quàm Ducalem Dignitatem, Magistro Ordinis, in firmitatem Provinciæ tributam, abrogare, & in alium

(s) Conf. transactio Magistri Gotthardi Kettleri cum Ordine Equestri inita Rigæ 11. April: 1560. item Provisionem Ducalem à Domino Sigismundo Augusto Rege Poloniæ die 28. Novembris 1561, datam.

alium statum formare, quàm ex consilio Nobilitatis, (t) & approbatione Regia ob certam atq; expressam causam formatus est.

(VII.) Igitur etiam in alia subsequenti Constitutione de anno 1683. provisum est, ut quoriescunque novus Ducatum Possessor existet, ipse Curlandiæ Dux in persona sua Regi homagium, præstare teneatur, quæ provisio planè superflua fuisset, si subsistere potuisset, ut juxta Constitutionem antea mentionatam de anno 1589. Curlandia & Semigallia Ducatus esse desinant. Ideoque & Constitutionis posterioris eo major valor est, non solum ob eam causam, quod lex posterior, deroget priori, sed etiam quod pactis subjectionis & Privilegio D. *Sigismundi Augusti* sit convenientior.

(VIII.) Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ est Feudum, quod non à solo Magistro, sed etiam ab Ordine Equestri, adeoque non abdicativè sed cumulativè, (u) sub certis pactis Serenissimis Regibus

C

bus

(t) Vid. §. 7. pact. Primæ v.

(u) uti id demonstrat non solum transactio ante subjectionem inter Magistrum & Ordinem Livoniæ, Rigæ 1560. inita, sed & Plenipotencia Nobilitatis ad unionem

bus Poloniæ oblatum, (v) ac Regno Poloniæ, Magnoque Ducatui Lithvaniæ incorporati atque uniti, & sic pro sociis (w) Reipublicæ recepti sint. Jus igitur ex Pactis, & non soli Magistro, sed & Ordini Equestri quæsitum, & hucusque integrum atque illibatum reservatum, ipsis invitis,  
&

unionem & incorporationem, Goldingæ anno 1568. data. Item Pact. subjct: in procæmio, in verbis: post varios multosque tractatus hoc tempore inter Nos & prædictum Principem, aliorumque Ordinum ac Civitatum Nuntios, conventum est.

(v) Distinguendo feuda data & oblata Puffendorff in Tract. Monzamb. rem his exhaurit verbis: Equidem cui de feudo meo aliquid concedo, eundem & in plenum, utut honoratiorem subditum mihi adsciscere possum, & quas placeat leges ipsius possessioni præscribere. Sed qui bona jam antea parta ab altero tanquam feuda deinceps vult recognoscere, ille nihil aliud agere est intelligendus, quam ut isti, quem Domini feudum salutatur, sese tanquam inæqualiter fœderatum adjungat. Stat. Imp. c. 5. §. 4. cui adstipulatur Grotius de jure belli & pacis l. 1. c. 3. §. 23.

(w) Vid. Pact. Subj. sub init. in verbis: Novis Pactis & fœderibus devincta & consociata. Item Koialowitz & Zawadzki Hist. Lithvan. l. 8. p. 447. & anomalia in capitibus Imperii Sarmatici pag. 115.

& sine facto suo auferri non potest; quod autem fieret, si ex Constitutione sæpius fata de anno 1589. divisio hujus Provinciæ in Palatinatus sequeretur.

(IX) Non obstat huic formula Juramenti, vicius Curlandia & Semigallia post fata Ducis & ejus stirpe extincta, se Regi & Reipublicæ immediatè subjecisse videtur. Uti enim vulgariter notum est, quod res secundum materiam substratam exponi, nec tam rigor verborum, quam mens eorum inspici debeat; ita quoque hoc Juramentum in terminis habilibus, & non contra, sed secundum Pacta, utpote quorum æterna debet esse authoritas (x) intelligendum est. Nam quoniam Nobilitas Curlandiæ & Semigalliæ jure suo habendi Duces se nunquam abdicavit, consolidatio Domini Directi cum utili in juramento contenta, non æterna, sed temporalis est, & ad tempus Vacantiæ Sedis Ducalis de terminanda, quousque nondum novus Ducatus possessor ex consilio Nobilitatis, & Sacræ Regiæ Majestatis approbatione constitutus est. Idem obtinet in omnibus feudis Regalibus, in quibus extincta linea regente, Dominium utile non cessat, sed

(x) vid. Formul. Regim. §. in quibus conventibus.

subtractis debitis & expensis feudilibus, cum Directo consolidatur. Quæ interpretatio etiam in formula Regiminis, in qua juramentum hoc continetur, fundatur, dum in ejus principio, Pacta Subjectionis pro fundamento totius formulæ Regiminis, consequenter & pro fundamento hujus juramenti ponuntur. Hinc id non in præjudicium statuum, præter, multo minus contra, sed secundum Pacta subjectionis accipiendum & dicto modo intelligendum est.

(X.) Præterea D. *Sigismundus Augustus* recepit, & juramento confirmavit, quod subditi Curlandiæ & Semigalliæ penes Magistratum suum, Germanicum sint relinquendi. Si igitur juramentum antea mentionatum juxta rigorem verborum esset assumendum, in hac etiam parte Pactorum subjectionis vis & intentio imminueretur, dum Magistratus Germanicus, qui sub Ducis titulum temporis præerat, (y) & etiam præesse debuerat, ei auferetur, cui non contrariatur, quod in Pactis subjectionis nihil de Principe, sed id ipsum saltem de eo Magistratu expressum, cujus partium enumeratio, in verbis mox sequentibus, adjecta est. Nam respondetur quod exempla in eo loco sint apposita,

(y) vid. Art. 5. Pact. Subjectionis.

apposita, non ut iis Princeps, summus Provinciæ Magistratus excludatur, sed cum Princeps Germanicæ nationis jam adesset, de quo antea subditi satis sufficienterque sibi providerant, superfluum visum fuit, denuò de Principe speciatim & nominatim providere. Ad hac notum est, Duces quoque inter Personas Magistratus referri, & quod per vocem Magistratus in excellentiori significato, semper Supremus Magistratus, seu Princeps intelligatur. Dum igitur Pacta volunt, ut subditi Curlandiæ & Semigalliæ, penes Magistratum suum relinquuntur, tum temporis autem & Princeps Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ jam præerat, necesse est, quod sub eadem expressione, Princeps simul comprehendatur, nec sine Pactorum læsione alia Regiminis forma quam Principis admitti possit. Nam subditos apud Magistratum suum relinquere, & subditos apud Magistratum suum supremum, seu principem non relinquere sunt contradictoria, quæ simul esse & non esse, non possunt. Præterea ipsa Formula Regiminis Principem Curlandiæ sub voce Magistratus exprimit, (z) ut adeo nullum

C 3

dubium

(z) vid. Formula Regiminis §. ante cætera verò, in verbis: quocunque Magistratu succedente. Item §. quia vero Ordo Equestris, in verbis: hujus Ducatus Magistratu.

dubium superfit, quin in pactis subjectionis, quibus **Formula** Regiminis superinstructa, sub voce **Magistratus**, comprehendatur, ipse **Curlandiæ & Semigalliæ Princeps**.

Jure eligendi Principem Ducatus **Curlandiæ & Semigalliæ**, ita extra omnem dubitationis aleam posito Ordo Equestris omni spe & fiducia lactatur, Serenissimam Regiam Majestatem, & inclytam Rempublicam **Poloniæ**, Magnique **D. Lit.** cui semper libertatum protectio amica fuit, circa Jura, Privilegia, Libertates, Præminentias, moresque antiquos, eo magis eum conservaturas esse, quo magis id, justitia, æquitas, ratio, & pacta primæva suadent, & sequenti modo §. 6. innuunt;

Quicquid publicè vel privatim universis & singulis de jure & æquitate competere videtur, vel videbitur, Nostris literis & diplomatis confirmaturos, nec ullam in prædictis diminutionem, sed potius pro Regiâ Nostra gratia & bene-

beneficentia augmentum & ac-  
cessionem facturos.

Et in fine:

Nos verò Principem ipsum benevolen-  
tia & favoribus, subditos verò il-  
lius & Nostros clementia & beni-  
gnitate Nostra Regia profecutu-  
ros, ornaturus & aucturos.

